Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38166
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



259

In intellectu ergo caelos fecit. quia nulla inordinatione nulla informitate creati sunt; quappe definire nobis licet quanti sint. quod in scripturis sacris legitur explicatum; qui firmauit terram super aquas; cui iacob dicit qui suspendit terram in nihilo. cur hic dicitur posita super aquas. sed ne ita uere contrarium. quomodo terram dicere potuit super aquas esse. & ita cum multo spatio distare uideretur; Spiritaliter super aquas baptismatis terram id est corpus reficit; qui fecit luminaria magna; secundum istoriam haec nota sunt. Luminaria significat angelos. id est potestates celestes. quippe & ratissima celesti lumine radiantur; Sole in potestate diei; Spiritaliter intelligitur quando scis suis sole sapientiae infudit. ut uideant quae ad ipsius pertinent ministerium. Luna & stellas in potestate noctis; Luna ecclesia significat. stellas diuisas per ordines. ut sunt episcopi presbiteri diaconi ut & ceteri ordines celestis conuersatione fercdiantes; haec in potestate noctis. id est. In secundum istius tenebris datae sunt; qui percussit egiptum cum primogenitis eorum; haec istoria nota est; percussit egiptum cum primogenitis eorum. quando secundum istius damnauit gloriam. quae putabatur esse praecipua; qui eduxit de medio eorum. per medium egiptorum deduxit. quando suos a conuersatione liberauit pessimorum; In manu potenti & brachio excelso; manu fortis ad uincibile per tentationem. brachium excelsum ad omnipotentiam domini singulare; qui diuisit mare rubrum In diuisiones; prisce auctoritatis uim mare rubrum In xii diuisiones dixerunt partitum. quantae tribus;